

& de illis faciet bonum suis consanguineis. Si infortunatus, contrarium profer.

Octauo, uide dominum primum triplicitatis luminaris conditionarij, Si fuerit fortunatus, & fortis, ac firmus in angulo, uel succedenti, significat diuitias, Si infortunatus, oppositum erit.

Nono, considerabis dominum ascendentis, Si fuerit etiam dominus quartæ domus, & bene dispositus, significat fortunam de significatis quartæ domus, & quod natus thesaurizabit. Si autem dominus ascendentis, & quartæ infortunatus fuerit, oppositum iudicabis, etiamsi infortuna esset in hac domo, nam etiam oppositum significaret.

Decimo, uide dominum primum triplicitatis ascendentis. Si bene dispositus fuerit, permixtus beneuolis planetis ac foeliciter receptus, cum testificatione aliorum duorum dominorum triplicitatis ascendentis, significat diuitias. Si fuerit infortunatus, cum testimonio aliorum duorum dominorum, oppositum iudicabis.

Considera etiam in quam domum dominus secundæ ceciderit in natiuitate, quoniam secundum significatum domus erit nati substantia. Vide etiam an talis dominus, fuerit in mobili, communi, uel fixo signo. Si in mobili, ex proprio labore diuitias habebit &c. Vide etiam an talis dominus secundæ sit aliquis ex superioribus, quoniam si ex superioribus fuerit, dic quod etiam substantiam habebit à principibus & dominis. Nam domus superiorum, regum, & principum sunt. Dominus domus in qua Sol fuerit, & dominus domus in qua Luna fuerit, & dominus ascendentis, orientales in angulis, aspicientes se inuicem bonis radijs, maximam fortunam significant. Si uero non omnes, sed maior pars sic fuerint dispositi, significabunt minus bonum.

Pars fortunæ in primis decem gradibus quartæ domus cum capite Draconis Lunæ, Venere atq; Ioue, & istis quidem directis, significant magnam subterraneam pecuniam. Si in secundis decem gradibus cum Venere & Ioue fuerit, acquireret etiam sed non tantas, ac tam numerosas opes. Si fuerit in ultimis decem gradibus, & fuerit cum uno illorum, acquireret iterum minus. Si ibi sola fuerit, libera ab aspectibus malorum, iterum acquireret minus. Si non fuerit aliquid istorum, non acquireret eam. Si autem acquireret, sicut dictum est, uide tum si Sol locum illum extrino uel sextili aspexerit, & fuerit talis aspectus magis prope primos decem gradus, quam aliquis prædictorum significatorum, erit thesaurus ille aurum. Si Luna fuerit magis prope, erit argentum. Si Iupiter erunt diuersa, aurum, argentum, & similia. Si Venus, margaritæ, ornamenta muliebria. Si Mercurius, monetæ, sculptæ imagines. At si fuerint retrogradi, ostendetur ei pecunia, sed eam non acquireret. Si unus retrogradus, alter directus, acquireret partem. Si Mars in secunda uel decima bene dispositus fuerit, habebit fortunam ex ijs quæ per ferrum fiunt, uel per ignem, uel commestione, ut sunt tabernæ, hospitationes, & similia. Si infortunatus, contrarium dicito.

Dominus octauæ fortuna in secunda, significat diuitias de substantijs mortuorum inimicorum, atq; uxorum, & eo fortius si non fuerit impeditus, uel si ibidem habuerit dignitatem. Si autem fuerit malus significat diminutionem substantiæ, nisi ibi dignitatem habuerit. Si habuerit dignitatē, ibi & fuerit bene dispositus, ac boni esse, parum aut nihil nocebit. Si uero ibidem dignitatem habuerit, fueritq; aliàs mali esse, significat ex toto destructionem substantiæ.

Fortuna fortunata & fortis, ac bene disposita, non impedita, significat quod ex illis rebus de significatis domus in qua ipsa est, natus lucrabitur & habebit fortunam in eis. Et in quacumq; fuerit infortunata, significat contrarium.

Capricornus alicuius ascendens, significat quod natus exercitabitur in his quæ spectant ad suū quæstum, sed cum labore, & difficultate. Quod si Saturnus tunc bene dispositus fuerit, uel fuerit pars fortunæ in secunda, erit fortunatus in his quæ sunt

R 3      secundæ